



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Constantinus Episc. M. 29. Ianuarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

quã victum eiecerat. Huic itaque infelix primò pudorem, mox vitam extorquet. Et verò tertium scelus accumulasset desperabundus, & victum se mundo dedidisset, nisi à tam turpi fugâ sanctissimi viri operâ DEVS retraxisset. Tum enim verò ad se redire JACOBVS, sepulchrum vivus subire, mortem suam vivus deflere in decimũ annum usque: cælo interim oculos nunquam attollere, vix semel aut iterum in hebdomade de herbulis vesci, quæ ad ostium conditorii crevissent. Ipse certè Apostolus peccato mortuum dixisset. Sed nunquam pulchrius ille vixit, quàm sic mortuus. Nam suppliciiis hic spontaneis placatum Numen disertis verbis ex Episcopis nonnemi signficavit, beatum imbrem, quem tam anxie sed necquicquam postulabant, non nisi ad preces JACOBI concedendum. Atque hoc aliisq̃ ejuscemodi miris cùm iterum orbi innotuisset, mori denique desuit annos natus LXXV. habuitq̃e novo more unum idem, & domicilium & sepulchrum. *Ex Surio.*

Cur pudet peccatum tuum dicere, quem non pudet facere? aut cur erubescis Deo confiteri, cujus oculis non potes abscondi? Quòd si pudor tibi est, uni homini & peccatori peccatum tuum exponere, quid facturus es in die judicii, ubi omnibus exposita tua conscientia patebit? S. Bern. in sent.

S. CONSTANTIVS EPISC. M.

29. Januarii.

Nobilissimis parentibus ortus est CONSTANTIVS; opulentam hæreditatem his demortuis aditurus, nisi alios succedere sibi hæredes vivos voluisset; inopes scilicet assem CONSTANTII abstulere. At hic infulam Perusinam paulò post tulit.

Quia

Quia verò geminis cæcis curatis oculos multorum Ethnicorum, M. Antonini ævo, aperuit; post crudeles verberum cruciatus in bulliente ab ignibus balneo plagas scilicet iubetur abluere. Verum sub noctem illuc quoque de cælo lumen affulget, fideique lucem custodibus accendit. Iis auctorebus fugam capit, sed retractus, qui prius aquas, nunc in prunis igne triumphat. Amissus proinde, sed tertium jam captus atrocissimè cæditur, mollissimè curatur ab Angelis, à tyranno denique capite plectitur. Funus ejus Cælites curarunt, cantuque tamdiu celebrarunt, dum Leucianus divino monitu eam curam in se reciperet. Id dum fit, & duo à fide alieni funus rident, oculos amittunt, dum lugent, recipiunt. Sed & aliis duobus pulsâ oculis nocte lux rediit, ut suum jam omnes in CONSTANTIO solem agnoscerent, qui diem oculis, ut luberet, vel auferret, vel ferret. *Ex Surio.*

Si non vales pro Deo mortem subire, vales tamen vitam Deo placabilem ducere. Magnum quippe est mori pro Christo; sed non est inferius, videre Christo. Non potes sanguinem fundere, potes te ipsum poenitentia telo percutere, & in cordis contritione mactare. B. Pet. Dam. serm. 33.

S. ALDEGUNDIS V. 30. Januarii.

ET si Numen amore omnes omninò animas depereat, farendum tamen est, non rarò etiam illustres ceras apud homines quæsiisse. Ita ADELGUNDEM è regia Gallorum stirpe oriundam vox cælo allapsa jussit uni Agno castum thalamum servare; palmâ interim & veste longè nitidissimâ arthæ loco datis. Ad id ipsum cum Angelus etiam Tutelaris palàm visus hortaretur, mater interim

jam